





DE  
STIMVLIS DILIGENTIAE  
IN SCHOLIS EXCITANDAE  
PRAEFATVS

---

AD  
BENEFICIVM  
*RICHTERIANVM*  
RECOLENDVM  
INVITAT  
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

---

FREIBERGÆ,  
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXLV.

**Q**uamvis, LACTANTIO iudice a), supremus omnium rerum opifex naturam humanaam veri adipiscendi copientissimam fecerit: tot tamen ac tanta impedimenta atque obstacula communi in vita obiciuntur, vt multi homines ipsam naturam ac indolem mutasse videantur. Vt hi igitur, imprimis adolescentes, litterarum studia profitentes, in gyrum reducentur, quanta fieri potuit, cura nullo non tempore tentatum fuit. Namque alii auctoritatem parentum in subsidium vocarunt, quae apud filios plurimum valet, valere certe debet. Qua mente olim Chaldaeos suis ipsorum filios instituisse, STANLEIVS his verbis testatur b): *quia discipuli parentibus magistris utuntur, plenius omnia hauriunt, et ita, quae docentur, maiorem fidem habent.* Imo patriarchas hac ratione praeclare suis de filiis meruisse, IOSEPHVS Sethi exemplo probat, quem comminorat c), studiis totum deditum, filios et nepotes sui prorsus similes reliquisse. Et quis nescit, Abrahamum ab ipso DEO eo commendari, quod operam suam nauauerit filiis suis recte instituendis et bene educandis d)? Neque alio consilio Aegyptii imagines hieroglyphicas excogitasse videntur, quam vt animos iuuenium ad sapientiae studium colendum inflammarent. Aliam ad dissentium studia excitanda viam illi iuuentutis moderatores ingrediebantur, qui discipulos ea, quae elaborauerant, publice recitare iubebant, quod non solum PLINIVS testatur e), sed HORATIVS etiam stomachatur, quod ea consuetudo in ipsa balnea irreplerit, inter laudandum scripta recitandi. f) Alii eandem ob causam silentium diuturnum auditoribus imperabant, quo maiorem proficiendi cupiditatem et instillarent et adiuuarent. Quem morem Pythagoram illis commendasse, quos suam in disciplinam receperat, constat. Alii vero certissimum acuendae diligentiae subsidium eo contineri arbitrantur, si iustum pretium demonstrent, quod litterarum studiis et sapientiae culturae est propositum. Quo verba poetae valent, dicentis g):

*- - - - pueris dant crustula blandi  
doctores, elementa velint ut discere prima.*

Quā

- a) L. III. c. I. 7.      b) Hist. phil. Orient. Sect. I. c. i.      c) Antiquit. Jud. L. I. c. 3.  
 antiquit. Jud. L. I. c. 3.      d) Gen. XVIII. 19.      e) L. I. Ep. 5. et 7.  
 L. VIII. Ep. 12, etc.      f) L. I. Sat. IV. 74.      g) L. I. Sat. I. 25.

Qua mente SOCRATES discipulis suis perpetuo in memoriam hoc reuocabat, scientiam vnicum esse bonum, inscitiam autem vnicum malum h). Quo sensu CICERO ita iudicat i); Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfigium ac solatum praebent etc. Alii omnem disciplinam austero vuln., atrocitate ciminationum, verbis contumeliosis, et continuis verberibus metuntur, atque his frenis vel ferociam vel ignauiam inueniunt compescere student. Tantum autem abest, vt hi finem, quem intendent, consequantur, vt potius ingenii erexitis dissidentiam incutiant, animis autem ingenuis mores iurificetos atque odium literarum inspirant. In cuius generis tyrannos sapiens ille iuuentus formator QVINCENTI-LIANVS, grauiter inuehit, caedi discentes, deforme, seruile ac iniuriosum, censens, atque hoc pacto non corrigi, sed pessima mancipia adolescentes durari, adfirmans k). Quibus Orbiliis celeberrimus LOKIVS aurem vellicat, his verbis viens l): *Consueta et expedita pueros castigandi ratio est virga, vnicum illud remedium paedagogis notum atque acceptum: quo tamen nihil potest esse ineptius ad pueritiam formandam. Nam vel duritatem animi et pravitatem, vel languorem et fatuitatem parit ac auget: quae utraque tanquam Scylla et Charybdis sunt fugienda.*

Quum igitur haec subsidia diligentiae in scholis excitandae partim multa cum imprudentia partim cum vario periculo sint coniuncta: multis aemulatio adcommodatissimum adminiculum videtur, ad industriam discentium fulciendam, et ad studia litterarum acienda stimulus ad proficiendi cupiditatem maxime idoneus. Et hac in aemulatione tam coniunctanda quam exercenda homines profani plenum elaborarunt, exempla summorum virorum discipulis suis ante oculos ponentes, qui aemulationis studio in primis inclinarerunt. Hoc consilio CICERO Themistoclem narrat m) somno caruisse, et causam sciscitantibus respondisse, Miltiadis tropaeis se idendidem ex stimulari. Talis etiam Alexander fuit, qui, paternae laudis aemulus, quum audiret, Philippum vnam post aliam urbem expugnare, tantum aberat, vt his nuntiis laetaretur, vt potius exclamaret: o amici, omnia nobis pater praeripit, nec quidquam magnificum nobis suscipiendum relin-

h) Diog. Laert. in Vit. Socr.  
1) de educat. nobil. p. 81.

i) Orat. pro Arch. c. 7.  
m) Tuscul. IV. c. 19.

k) L. I. c. 7.

relinquit. Iulius Caelar vero, res ab Alexandro M. gestas legens lacrymas profundebat, hanc causam interferens, quod adhuc nihil praeclarum egisset, eam iam aetatem adeptus, qua ille multa regna vincendo sibi subiecerat. Quamvis autem Cicero, homo gloriae audissimus, in aemulatione commendanda magnopere desudet: dissiteri tamen non potest, animi aegritudinem cum illa semper esse coniunctam, ideoque certis limitibus illam circumscribi oportere, censet, hoc modo disputans n): *Aemulatio dupliciter dicitur, ut et in vito et in laude hoc nomen sit: nam et imitatio virtutis aemulatio dicitur, et est aemulatio aegritudo, si eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipse vero careat.* Quae animo complexus QVINCILIANVS, etiam hanc ob causam in scholas publicas priatis ac domesticis paeferendas statuit o), quia discipulus in illis quotidie audit multa probari, plura corrigi, et aemulatione ductus turpe putat, pari cedere, pulcrum autem videtur, maiores superare. His aemulationis utilitatem et effectum mirificum subiungit, ita disputans: *Omnia haec animos accendunt, et, licet ipsa ambitio sit vitium, frequenter tamen sit causa virtutum. Quid vero CICERO de ea fenserit, his docet verbis p): Honestas suapte natura per se expetenda esse, pueri indicant, in quibus, ut in speculis natura cernitur. Quanta eorum decertantium sunt studia! quanta certamina! ut efforuntur laetitia, quam vicerunt! ut pudet victos! ut se accusari nolunt! ut cupiunt laudari! quos illi labores perferunt, ut principes sint aequalium!* Hanc duorum summorum oratorum sententiam patroni scholasticae aemulationis ambabus manibus amplectuntur, eamque misifice ornant et magnopere ornant simulque commandant. Sed vereor, ne argumenta, quibus illam tueri voluerunt, iusto pondere valeant. Nam si ad amissam exiguntur, omnis eorum ratio in hoc continetur, id omne rectum esse; quicquid est vtile, et, quicquid pueri exercent, illud veluti naturae ingenitum, probandum esse atque amplectendum. Haec enim recitare, est refutare. In eo ipso hoc aemulationis idolum suo honore priuarunt, cum in locis iam allegatis Quintilianus cum ambitione, Tullius autem cum miserrima animi aegritudine eam esse coniunctam, negare non possint. Quam in sententiam poeta Graecus recte sensit, canens q):

ως εδει ζηλοι καινωρεγον αιδεσσιν αλγος  
εντρεφεται, h. e. nullus aemulazione peior hominibus dolor  
ineft aemulatione. Imo

n) I c. cap. 8

Halicut, IV 29.

o) L, I, c. 2.

p) de fin, E, V, c. 23.

q) Oppian.

Imo idem CICERO alio loco r), mutata sententia, ita disputat:  
magni ingenii adolescentes semper a gloria potius refrenandi sunt, quam  
incitandi, atque aetati illi plura sunt amputanda, quam inferenda.

Tantum igitur abest, ut splendida hominum profanorum  
virtus nos, qui in scholis christianis versamur, discipulis commendem-  
mus, ut potius ab ambitione, et quicquid ex illa nascitur, veram sa-  
pientiam non modo abhorre, verum etiam impedire, certum atque  
exploratum habeamus. Cujus sententiae testes quam plurimi in me-  
diū adduci possent, si locus pateretur: ex multis igitur pauci, sed ido-  
nei hanc causam perorent. Ita nimirum AVGUSTINVS, Hippo-  
nenſium praeful religiosissimus, sentit, grauerit se stomachari, adfir-  
mans s), quod pueri in scholis non utilitate atque decore disciplinarum,  
sed laudis inanissimae amore ducantur. Paucis vero interieatis, eos ma-  
gistros graueriter reprehendit, qui aemulationis tabificae atque inanis ia-  
ctantiae ultimam, sed omnibus aliis nocentiorem pestem introducere co-  
nantur. Noster autem LUTHERVS, vbi in eo est, ut studium  
bonorum operum commendet t), copiose hoc argumentum perse-  
quitur, et, rejecto aemulandi studio, alios eosque nobiliores ac prae-  
stantiores stimulos commendat ad recte agendum idoneos, nempe man-  
datum DEI, fidem et amorem. Tandem concludit: Qui his non  
magis, quam honore permouentur, et ad recte agendum impelluntur,  
eorum facta merito damnantur, qualiacunque vulgo videantur. Quo-  
niam enim haec prima sanctissimae nostrae religionis est regula, et hic  
primus ad veram felicitatem perueniendi gradus, ut exstirpato atque  
rejecto amore nostri ad modestiam redeamus, quam auctor et dux nostrae  
salutis non solum suo exemplo expressit, sed suis quoque discipulis etiam  
atque etiam commendauit: quid, quaeſo, illi aliquando respondebunt,  
qui iuuenes ſuae fidei commiſſos ad honoris cupiditatē exſtimulant, et  
ad altiora petenda perpetuo exhortantur? Neque alia emendatorum  
morum doctores docent, quorum ex claſſe CHR. THOMASIVS u)  
aemulationem tanquam profanum, ſpurium atque inauspicatum proſi-  
ciendi exercitium ex scholis omnino proſcribendum eſſe adſiſiat, hiſ  
uſus verbis: Die Aemulation wird gemeiniglich für eine ſchöne und lös-  
liche Tugend gehalten. Man sagt nicht allein von erwachsenen Leuten:  
es ist eine honnête Aemulation zwischen dieſen und jenen, fonduer auch  
dieje-

r) Orat pro Coel c. 32.

s) Opp. T. I. L. I. de ordine. cap. 10.  
t) Serm. de Bon. Oper. T. I. Ien. f. 232. u) in Ethicae parte pract. p. 443.

dijenigen, so den Kindern den Saamen der Tugend beybringen sollten,  
ich meine die Praeceptores und Professores auf hohen und niedern Schulen,  
gewöhnen junge Leute in ihrer zarten Jugend zur Aemulation, und  
ernahmen sie wohl dazu: dass ich von der Brutalität des sogenannten  
Certirens nichis erwähne, als welches noch schändlicher, und doch auf  
vielen Schulen frequent ist. Consentit moderator formandae iuentutis  
exercitatiſſimus, et Roscius longo vſu doctissimus, GOTTFR. VO-  
CKERODT, hoc super argumento ita disputans w): Quum doctores  
in scholis iuuenes ad aemulandum excitant, hi vero ad laudem atque  
honorem caeco impetu feruntur, utriusque se facere putant, quod se di-  
gnum videtur. At enim vero, quum illi sint vanae ambitionis mancipia,  
et infana gloria alantur, tales etiam amant discipulos, eosque frugi et  
melioris notae esse, iudicant, quos strenue sua per vestigia vident cur-  
rere, et generosa laudis cupiditate impelli. Accenditur inde aemulatio  
tanquam princeps stimulus ad nitendum fortius in litteris addiscendis,  
sed aemulatio non recti ac pii, qualem Paullus praecipit, sed vanissimae  
laudis et commendationis apud parentes ac patronos, itemque loci in coem  
superioris. Haec accensa in pueris, et in scholis aliquamdiu agitata,  
per vniuersam vitam continuatur, et mutuorum inter ciues odiorum,  
perpetuae obrectationis et insectationis, factionum, et nonnunquam civili-  
um turbarum cauſa euadit, praeſertim vbi instituta de loco certamina  
ſcholastica vim animorum aemulorum acuunt, et impotentiam puerilem  
infibitant. Triſtoris enim naturae commilitones ira ex iſta concerta-  
tione concepta, ita occupat, ut offensae atque injuriae, qua se laefos pu-  
tant, memoriam non niſi cum vita deponant. Neque mirum eſt, inde  
tam multos homines euadere pugnaces et rixosos, quoniam iam in scholis  
pugnare didicerint. His testimoniiſ ſuffragium celeberrimi rectoris in  
academia Parifiensi, CAR. ROLLINI addimus, ita ſentientis x): C'eſt la vertu ſeule, qui met les hommes en état, de bien remplir les po-  
ples publics. Ce font les bonnes qualités du cœur, qui donnent le prix  
aux autres, et qui en faisant le vrai mérite d'un homme, le rendent  
auſſi un instrumenſ propre à procurer le bonheur de la ſociété. C'eſt la  
vertu, qui accoutume l'homme dans toutes ſes démarches, à respecter le  
jugement durable et incorruptionible de la poſterité, et à ne lui point préférer  
une fauſſe et courte lucer de glore, qui s'évanouit avec la vie comme  
une

w) in Consultat, de vera Christianorum erudit, p. 55.  
Discours. prelum. p. 19.

x) T. I.

une legere sumee. Voilà ce, que se proposent les bons maîtres dans l'éducation de sa jeunesse. Ils estiment peu les sciences, si elles ne conduisent à la vertu. Ils comptent pour rien la plus vaste erudition, si elle est sans probité, et ils préfèrent l'honnête homme à l'homme savant.

Quae quum ita sint, alia, eaque maioris pretii atque utilitatis subsidia diligentiae in scholis excitandae sunt circumspicienda, quibus salua religione vii et possumus et debemus. Quorum primum et palmarium hoc est, ut animo perpendamus, DEVM in rerum primordiis nos ad sui similitudinem creasse, ut perfectionis suae imago quaedam atque exemplar esset omnibus numeris perfectum et absolutum, quod homo summo amore et religiosissimo cultu prosequi debet. Porro in mentem renouemus, hanc perfectissimam conditionem, in qua veluti fundamento omnis nostra felicitas nitebatur, nos incurios atque ingratos amississe, et in extremam miseriam detrusos fuisse. Praeterea teneamus, ipsum filium DEI, fortis nostrae miteratum, hoc consilio nostram naturam induisse, ut redēptione cruenta peracta, et Patre cœlesti reconciliato, unusquisque nostrum diuinæ naturæ rursus particeps fieri, et exemplum Salvatoris sequutus, DEO denuo placere possit. Ad haec beneficia DEI, omnemque diuini erga nos amoris adparatum recte cognoscenda et colenda, omnes animae nostræ facultates omnesque scientias dirigendas esse, nemo negabit. Denique cogitemus, amorem Salvatoris nostri ea esse amplitudine, integritate et constantia, ut nos ad dilectionem mutuam, ad imitationem assiduam, atque ad obsequium prouinciam illi nos omnino obstrictos esse, nobis persuadeamus, contra vero haudquam dignitatibus nostræ conuenire, existimus, vanam gloriam captare, aut inani alias praecurrenti studio excruciarci, quum grauiora, sanctiora et praestantiora incitamenta suppetant, cum ad omnes actiones feliciter sustinendas, tum etiam ad literarum studia ex voto expedienda, quae diuini Numinis gloriae seruunt, eique placent, et gratum nostrum animum testantur. Quae profecto omnia tanta sunt atque ita comparata, ut certa iustæ aemulationis fundamenta ob oculos ponant, eiusque leges praescribant reliquis omnibus sanctiores. Et hac mente diuinus legatus nos iubet praestantissimas quasque dotes aemulari y).

Habent igitur religiosi scholæ magistri, ut animum ad evendum attendant, ne sub specie vanæ, profanae, ostentatoriaæ atque inanis.

---

y) 1 Cor. XII. 31.



inanis aemulationis animis discipulorum suorum detestabilem ambitionem iustulent. Hoc enim pipulo (proh dolor!) iam multos obrectatores scholas publicas distulisse, duorum scriptorum Gallicorum testimonia probamus, quorum alter ita pronunciat z): *Il y a dans les écoles des gens gagés, pour nous mettre dans l'esprit toute la prudence: alter his verbis, quae sentit, prodit: On sort de l'école avec une habitude si forte de chicaner sur tout, qu'il est impossible, de l'effacer dans la suite, et elle se repand sur toutes les actions de notre vie a).*

Inter reliqua autem incitamenta, quae iustam et laudabilem aemulationem commendant, et diligentiam in scholis inflammare possunt et debent, iure beneficia tam magistratum, quam eorum referuntur, qui certa praemia et legata sanciuerunt; iis impertienda, qui alios industria et virtutum studio antecellunt. Quo nomine vir quondam de republica paeclare meritus, IO. CHRISTOPH. RICHTERVS, immortalem sibi famam comparavit, viatico constituto, quo ii scholae nostrae alumni instruuntur, qui in eo sunt, ut academiam petant, litterarum studia prosequunturi. Et huc beneficium, quod publice praedicari decet, tanta fide et cura ab AMPLISSIMIS SCHOLAE INSPECTORIBVS adhuc conservatur atque administratur, quanta religione olim a testatore, iam inter caelites versante, fuit institutum. Cuius memoria vt pie eo die, quem ille prescripsit, renouetur, is, qui hoc anno suffragantibus Patronis hac liberalitate fruetur,

CAR. AVG. SCHIFNER,

Born. Misn.

oratione Latina docebit, *quid sentiendum sit de morte hominum profanorum voluntarie et sua sponte suscepta?* instans tempus in mentem reuocans, quo memoria Saluatoris nostri publice recoletur, qui sponte mortem pro viuero genere humano subire non dubitauit. Quod institutum vt Vos, PATRONI ac FAVTORES, suffragii Vestris probetis, eaque mente cras, si Deus sierit, hora ante meridiem nona audita, in auditorio superiori scholae nostrae haud grauatum conueniatis, et beneuola Vestra praesentia, tanquam validissimo stimulo tam docentium, quam discentium diligentiam excitetis, rogo, oro, atque obtestor. Freibergae. d. XVII. Febr.

A. R. R. MDCCLXXII.

z.) Perrault dans le Parallelle des anciens et des modernes. Vol. I. Dial. 3.

a.) Bibliotheque Universi, Tom. XXIII, p. 422.

Yb-627

(811148)

TA>OL

ULB Halle  
001 508 164

3







DE  
STIMVLIS DILIGENTIAE  
IN SCHOLIS EXCITANDAE  
PRAEFATVS

AD  
BENEFICIVM  
RICHTERIANVM  
RECOLENDVM  
INVITAT  
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,  
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXLV.